

*Ad min. 1 part. (non necessarium).* Potest 1) honor in ipsa aggressionem defendi quieto contemptu quo conviciator frangatur, vel verbis acerbis quibus terrore incusso taceat, vel frigidis responsis quibus pudore suffundatur, vel etiam minis vel levi percussione (non tamen cruenta) qua in fugam agatur; — 2) potest honor post laesionem reparari et compensari per legitimam vindictam qua alia damna inferantur, muleta sumatur; — 3) potest fama laesa reparari per virtutis exercitium et vitae integritatis ostensionem; — 4) potest fama in ipsa aggressionem defendi argumentis veritatem ostendentibus, calumniam detegentibus, aliquando etiam, sed rarius, vi physica non cruenta, qua detractor adigatur ad silentium; — a. ita nulla manet necessitas sanguinis effusionis; e.

*Ad 2 part. (non efficax).* Effusio sanguinis malam famam ac contumeliam non diluit, sed potius crimen in oculis hominum auget; a. si hoc, est medium inefficax; e.

**Prob. 2°** Qui jus habet ad tuendum honorem vel famam, in adversario offendit jus ad conservandam vitam et corporis integritatem; a. in hoc iurium conflictu fortius est jus conservationis vitae, cui cedere debet jus honoris et famae; e.

*Ad min. 1)* Vita est bonum internum, fundamentum honorum reliquorum; honor et fama sunt bona externa, quae aliorum honorum possessionem consequuntur; — 2) vitae vel integritatis privatio reparari nequit; honoris vel famae privatio potest.

**Objic.** Honor est ipsa vita praestantior; a. vitam licet occisione aggressoris defendere; e. — R. d. maj. honor fundamentalis, c; formalis, n; — d. min. occisione necessaria, c; secus, n. — n. cons. et n. parit.

**Coroll.** Ergo monitum Evangelii, ut unam maxillam percutienti, altera offeratur, perfectionis christianae supernaturalis est, non juris naturalis.

### Propositio 93.

**Duellum, prout hodie communiter intelligitur, lege naturali illicitum est.**

**Notiones.** 1) Duellum, sensu latissimo, est certamen quodlibet duorum, seu certamen singulare.

2) Certamen singulare seu duellum (sensu latissimo) est :

lucta	— — —	orta ex contentione et rixa, jurgiis, conviciis, non ex condicto.
pugna	— — —	defensio contra actualem aggressionem.
duellum	— — —	(sensu strictiore) conflictus ex condicto ortum, quo tempus, locus, arma, pugnandi modus praevidentur.
publicum	— — —	ex condicto auctoritatis publicae initum.
		judiciale — coram iudice, ad innocentiam vel culpam demonstrandam.
bellicum	— — —	ad bellum generalius vitandum vel citius finiendum.
privatum	— — —	ex condicto privata voluntate initum, praesertim ad honorem defendendum vel reparandum (duellum strictissimo sensu hodierno).

3) Duellum privatum (strictissimo sensu) apud antiquos omnes, et etiamnum apud exteras gentes, prorsus incognitum est. Apud barbaras Germanicas gentes Romanum imperium invadentes invenitur duellum publicum iudiciale, sed fere nunquam duellum privatum pro honore. Post medium aevum apud nos Europaeos, tanquam vestigium depravatum barbarae consuetudinis, invenitur usus duelli privati pro honore.

**Stat. quaest.** 1) Utile adjumentum, rationi extrinsecum, est infallibilis Benedicti XIV (const. *Detestabilem*) auctoritas, quinque has propositiones damnantis, tanquam falsas, perniciosas, scandalosas :

a) Vir militaris qui, nisi offerat vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debita ac promerita spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat sive acceptet duellum.

b) Excusari possunt etiam, honoris tuendi, et humanae vilipensionis vitandae gratia, duellum acceptantes vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

c) Non incurrit ecclesiasticas poenas ab Ecclesia contra duellantes latas dux vel officialis militaris acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae et officii.

d) Licitum est in statu hominis naturali acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.

e) Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatae, in qua nimirum vel negligentia vel malitia magistratus iustitia aperte denegatur.

2) De lucta et pugna hic non agitur. — De duello bellico patet eadem esse sentienda atque erunt de bello ipso dicenda (cfr. infra). — De duello iudicali jam non agimus quia in desuetudinem abiit. Erat is abusus intrinsece malus, nam erat medium ad finem prorsus ineptum et superstitiosum.

3) Non esset duellum dicendum, si iudex duos reos ita mortis damnaret, ut se mutuo certamine occiderent, ac si quis superstet sisteret is immunis abiret; tunc enim legitima auctoritate uterque donatus, alium occidere conans, humanae iustitiae exercendae deputatus carnifex dici potest.

4) Sed de duello privato pro honore agitur, quale hodie apud plures Europae gentes usurpatur, atque aestimatur sive licitum sive etiam necessarium propter praejudicia hominum et mala nimia secutura si recusetur duellum. Posset quidem haec propositio dici jam probata in praecedente propositione, cujus non nisi particularis aliqua applicatio sit; sed magis explicite quaeritur nunc utrum tanta damna ex tantis praejudiciis hodiernis oriunda potius sint toleranda, quam duellum ad ea vitanda acceptari possit.

**Prob.** Duellans vitam (vel integritatem corpoream) tum propriam, tum alienam certo periculo exponit, plena et deliberata libera voluntate, sine jure



vel ratione sufficiente; *a.* ita duellum habet malitiam tum suicidii tum homicidii (vel saltem mutilationis, vulneris...); *e.*

*Prob. maj.* Jus vel ratio sufficiens vitam propriam vel alienam (vel integritatem) tali periculo exponendi, tres includit conditiones: a) quod agatur de bono ipsi vitae (integritati) saltem aequivalente, — b) quod relate ad illud bonum sit vere casus necessitatis (i. e. nullum aliud medium detur ad illud conservandum), — c) quod jus ad illud bonum non veniat in conflictum cum jure aliquo opposito fortiore; — *a.* duello sive 1) ad honorem reparandum, sive 2) ad eum conservandum, sive 3) ad alia mala gravissima vitanda, saepe duae priores, semper tertia conditio deest; *e.*

*prob. min. 1 part. (ad reparandum).* Deest *b)*, nam: ad ostendendam calumniae falsitatem vel contumeliae injustitiam nullo modo aptum et proportionatum medium est sanguinis effusio; — sed alia semper media suppetunt, coram hominibus ratione sua uti volentibus; de ceteris autem hominibus curandum non est, nec probatio ulla pro illis valebit, et ita etiam deerit *a)*.

*prob. 2 part. (ad conservandum).* Deest *b)*, nam: etsi coram talibus personis medium aptum sit ad vitandum contemptum, hoc certe non unicum medium est, sed poterit quis aperte declarare se contra legem divinam et naturalem agere nolle, tum ex legis reverentia, tum ex adversarii contemptu, poterit simul in reliquis ubique libere et intrepide ac digne agere; *a.* ita honorem non minutum habebit, sed in aestimatione bonorum crescit; — de ceteris curare non licebit, quia deerit *a)*.

*prob. 3 part. (ad vitanda alia...).* Semper saltem deest *c)*, nam: tota societas humana jus naturale habet ut ne introducatur vel confirmetur gravissima perturbatio ordinis moralis inter homines; *a.* hoc jus evidenter fortius est jure particulari ad aliqua bona physica vel temporalia etiam maxima; et hoc jus ab eo laeditur qui duelli privati consuetudinem introducit vel conservat; *e.*

*ad min. (ab eo laeditur).* Ex ea consuetudine confirmaretur falsa opinio et iniqua ignaviae aestimatio, ex qua illa gravissima mala oriuntur (contra quam potius omnia movenda sunt ut aboleatur); — confirmaretur et promoveretur mala hominum inclinatio ad privatas vindictas, privata certamina, caedes, iras, calamitates familiarum; — confirmaretur absurdus usus, illi quem injustum suum aggressorem quis aestimat, ex aequo et pacto, paria arma, paremque potestatem et media concedendi, ad vindictam justam vel defensionem (si ita judicatur) evertendam et impediendam, imo ad novam similem vel majorem injuriam infligendam, per quam prior censeatur reparata et quae ipsa non sit reparanda; *a.* illa omnia sunt gravissima perversio sensus moralis inter homines; *e.*

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo etiam duellum ad primum sanguinem, ut aiunt, legi naturali repugnat, sunt enim eadem argumenta cum proportionem applicanda.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ergo duellum acceptare, cum certitudine certamen impeditum iri, si omnibus nota clara est haec conditio, non est malum, sed potius lusus; sin autem non omnibus nota est, intrinsece malum est, nempe seria simulatio actus mali.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Ergo duellum ad ostendendam fortitudinem vel peritiam in armis, ob eadem argumenta illicitum est.

**Coroll. 4<sup>m</sup>** Ergo etiam testes duello assistentes, cautelas praescribentes, rem judicantes, intrinsece malum faciunt, concurrunt enim efficaciter.

**Objic. 1<sup>o</sup>** Duellum est justa defensio, saltem pro acceptante, aliquando etiam pro offerente. — *R. n.* (est adversarius quaesitus, eique arma et cautelae tribuuntur).

**Objic. 2<sup>o</sup>** Duellum qui detrectat, tanquam ignavus habetur; *a.* ad hoc ferendum, cum gravissimis malis inde sequentibus, non tenemur; *e.* — *R. d. maj.* ab aliquibus, et praesudicio falso, *c;* ab omnibus et jure, *n;* — *c. d. min.* non tenemur si jure fiat, *n;* si injusto praesudicio, *sd.* non tenemur si medio legitimo effugere possumus, *c;* si non nisi per medium intrinsece malum, *n.* (martyr succumbat: et hoc ipsum erit lucrum majus).

**Objic. 3<sup>o</sup>** Media necessaria licet adhibere; *a.* in multorum opinione duello solo restituitur honor; *e.* — *R. d. maj.* si sint media vere necessaria et intrinsece bona, *c;* secus, *n;* — *d. min.* praesudicio erroneo et barbaro, *c;* aestimatione vera, circa medium bonum et aptum, *n.*

**Objic. 4<sup>o</sup>** Duellum inter individua aequiparatur bello inter nationes; *a.* bellum justum licitum est; *e.* — *R. n. maj.* (bellum non fit ex conducto, utriusque procurando aequalia arma et cautelas; et fit ad bonum materiale publicum); — *d. min.* quia medium proportionatum est ad finem, *c;* secus, *n.*

#### QUAESTIO 5.

##### De juribus et officiis erga alios quoad proprietatem.

De proprietate bonorum materialium quaerendum nobis venit quid illa in se spectata sit, et unde ac quomodo homini illud jus competere possit, deinde quibus modis proprietatis jus acquiri possit. Sit ergo:

Articulus 1. De origine et natura proprietatis.

Articulus 2. De modo acquirendae proprietatis.

#### ARTICULUS 1.

*De origine et natura proprietatis.*

#### Propositio 94.

**Bona externa materialia sunt naturariter hominibus negative communia.**

**Notiones.** 1) *Bona externa materialia*, sunt res omnes naturales in nostro mundo ad usum et utilitatem hominum oblatae.

2) *Bona illa sunt:*



- propria — — quae ad usum unius hominis sunt, ita ut alii ab eodem usu excludantur.
- communia — — quae ad usum plurium sunt, ita ut nullus ab eorum usu excludatur.
- { positive — — nonnisi ad communem usum, ita ut nulli propria fieri possint.
- { negative — — ad usum plurium, ita ut fieri possint alicui propria

**Stat. quaest.** 1) Agimus de bonis materialibus illis tantum quae secundum leges physicas possunt inter homines dividi, non vero v. c. de undis oceani, de astris, de atmosphaerae partibus, vel de reconditis in centro terrae.

2) De illis quaeritur utrum *naturaliter*, i. e. ex natura sua aliquod obstaculum juri proprietatis opponant. — Respondemus negative. — Sint ergo duae partes probationis : a) bona illa non esse natura sua alicui *propria*, b) nec omnibus *positive communia*. Unde concludenda erit propositio.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*non propria*). Bona illa essent hominibus propria : aut 1) collective omnia singulis hominibus, aut 2) collective omnia certis aliquibus hominibus, aut 3) distributive singula singulis; *a.* nihil horum; *e.*

**Prob. min. 1 part.** (*collective singulis*). Essent simul propria, ex hypothesi, et non propria sed omnibus communicata; seu singuli simul reliquos excluderent, et non excluderent; *a.* hoc est absurdum; *e.*

**Prob. 2 part.** (*collective certis aliquibus*). Hoc supponeret finem creationis rerum materialium esse aliquos illos homines, non vero eodem jure reliquos homines; *a.* ita neganda esset aequalitas naturalis specifica omnium hominum, quod absurdum; *e.*

**Prob. 3 part.** (*distributive singulis*). Hoc supponeret illa bona esse ex natura sua inter homines distributa et divisa, i. e. ex natura sua alia destinata pro aliis hominibus determinatis; *a.* hoc falsum est; *e.*

*ad min.* Hujus variae destinationis essentialis deberent in ipsis essentiis singularibus signa naturalia inveniri; *a.* nullum tale est; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*non positive communia*). Bona illa essent positive communia : aut 1) collective omnia omnibus hominibus, aut 2) partes partibus hominum; *a.* neutrum; *e.*

**Prob. min. 1 part.** (*collective omnibus*). Ita totum genus humanum in plures societates dividi non posset, quarum singulae haberent bona sibi propria; *a.* ita, aut omnes omnino homines deberent uni auctoritati subesse, quae singulis hominibus bona ad usum transitorium distribueret; aut nullus homo sine consensu aliorum omnium ulla re uti posset; quae sunt absurda; *e.*

**Prob. 2 part.** (*partes partibus*). Hujus variae destinationis essentialis deberent in ipsis essentiis rerum et in ipsis variis hominum partibus esse signa naturalia; *a.* tale nullum est; *e.*

## Propositio 95.

**Jus proprietatis recte definitur jus disponendi pro voluntate de ipsa rei substantia et utilitate, exclusis omnibus aliis.**

**Prob.** (*via descensus*). Ex obvia evidenti notione, qui proprietatem habet, dominus est, seu dominium habet; est autem :

dominium — — — — jus disponendi de aliquo objecto, exclusis ceteris omnibus.

in homines — — — — jus disponendi de hominibus.

{ jurisdictionis — — — — jus regendi communitatem aliquam per leges seu ordinationes universales, quibus determinantur jura particularia ejus membrorum.

{ dominationis — — — — jus in individuos, non tamen inferens jus leges pro tota communitate statuendi.

in res proprie dictas : dominium proprie dictum (de quo solo hic).

{ transitorium — — — — in substantiam rei quae ipso usu consumitur.

{ stabile — — — — in rem quae non consumitur ipso suo usu, vel saltem non unico usu; vel in rem usa etiam unico consumendam, sed ante usum.

{ perfectum, seu plenum : in ipsam rei substantiam et in omnem ejus utilitatem : usum et fructum.

{ imperfectum — — — — non se extendens ad illa omnia.

{ directum (proprietatis nuda) : in rei substantiam tantum.

{ indirectum — — — — in solum rei fructum, vel in solum usum, vel in utrumque, sed non in substantiam.

*Atqui* ex his omnibus, solum dominium sive transitorium sive stabile perfectum communiter dicitur proprietatis jus; hujus vero elementa omnia exhibentur in proposita definitione; *e.*

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo latiori aliquo imperfecto sensu dicitur saepe proprietatis dominium stabile imperfectum directum : melius dicendum *proprietatis nuda*. Vel si cui aliter concipere rem praeplacuerit, dicat proprietatem *essentialem* esse dominium imperfectum directum, proprietatem vero *connaturaliter completam* dominium perfectum.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ergo jus proprietatis includit potestatem rem excolendi, immutandi, alienandi, destruendi.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Ergo materia proprietatis potest esse quidquid ita limitatam utilitatem habet, ut non possit simul omnibus esse utile.

**Coroll. 4<sup>m</sup>** Ergo a proprietate distinguenda est *possessio*, i. e. actualis rei detentio cum animo jus proprietatis in eam exercendi; potest enim esse *possessio legitima*, si cum vero jure proprietatis, vel *illegitima*, si sine illo.

**Coroll. 5<sup>m</sup>** Ergo jus proprietatis, nomen anceps, modo dicit legitimam possessionem concretam alicujus rei determinatae; modo dicit jus abstractum acquirendi domini, praescindendo ab omni materia individualiter deter-



minata; modo dicit etiam ipsam proprietatem objectivam, i. e. rem ipsam determinatam in quam habetur dominium.

### Propositio 96.

**Absurdum est systema communistarum in genere humano quale nunc est.**

**Stat. quaest.** 1) Ad quaestionem de existentia juris proprietatis, respondent communistae negando originem proprietatis reperiri in lege naturali, imo negando ipsam ejus existentiam et legitimitatem.

3) Volunt communistae : a) ut bona immobilia sint proprietas reipublicae; b) ut bona usu consumenda vel sint omnia proprietas reip., cujus sit singulis civibus ex his bonis partiri quantum ad usum quotidianum satis sit; vel sint proprietas stabilis singulorum, ea sola quae unico usu consumuntur; c) ut aequalis omnium labor sit ad ea bona procuranda quae omnibus distribuuntur.

3) Hanc bonorum communionem philosophi olim (Plato, Thomas Morus etc.) proponebant tanquam formam perfectio regimini reip. accommodatiorem; haeretici tanquam perfectionem sanctitatis a Christo praescriptam; hodierni communistae tanquam unicum systema a jure naturali non abhorrens.

4) Nos concedimus communionem positivam, non solum negativam, bonorum non repugnare naturae humanae *abstracte sumptae*, i. e. quae recto rationis ductu se permetteret semper regi, passiones perversas suas omnino exuerit; — sed dicimus generi humano *quale nunc est*, cum passionibus et vitiosis tendentiis suis, impossibilem et fini suo (felicitati temporali) contrariam esse communionem illam.

5) Ad facilitatem probationis sint tres partes : a) fundamentum communismi esse falsum, seu proprietatem privatam non repugnare legi naturali; — b) communionem bonorum repugnare tendentiae naturali hominis; — c) nullam fore sufficientem compensationem ex eo quod auctoritas singulis distribuat bona consumenda vel utilia.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (fundamentum falsum).** Non repugnat legi naturali illud quod nulli hominum relationi sive ad Deum, sive ad res inferiores, sive ad se invicem repugnat; *a.* proprietas privata...; *e.*

*Ad min. 1 part. (ad Deum) :* patet!

*Prob. min. 2 part. (ad res inferiores).* Res inferiores mundi nostri, i. e. bona materialia, a) natura sua finem suum ultimum habent ut inserviant utilitati, necessitati, jucunditati hominum; — b) natura sua non sunt positive, sed negative communia, i. e. per se indifferentia ad possessorem suum; *e.*

*Prob. min. 3 part. (ad se invicem).* Proprietas privata aliis hominibus injuriam inferret, aut 1) quia eis impossibile redderet exercitium alicujus juris alius innati, — aut 2) quia omnibus innatum esset jus naturale ad omnia bona, — aut 3) quia contraria naturali hominum aequalitati esset inaequalitas quae ex proprietate privata necessario oritur; — *a.* nihil horum admittendum est; *e.*

*ad min. 1) (alia jura innata).* Concedimus si jus proprietatis in conflictum veniat cum alio jure naturali fortiore opposito, fore ut debeat jus proprietatis cedere; sed negamus id semper et ubique necessario accidere; neque ullo argumento id probare conantur adversarii.

*ad min. 2) (jus omnium ad omnia).* Tale jus deberet saltem supponere aliquam materiam aptam ut ab omnibus simul possideretur; *a.* bona materialia non sunt ita apta, i. e. non sunt positive, sed negative communia; *e.*

*ad min. 3) (inaequalitas ex proprietate).* Haec inaequalitas 1) ex ipsa natura humana oritur, nam homines varii nascuntur inaequalibus viribus praediti, varia cura et incuria, sollertia, etc... — 2) ipsi fini naturae inservit, nam a) parit mutuum juvamen quo alii aliis laboribus (manualibus, intellectualibus) aliisque functionibus, omnibus prosunt, b) parit multimodam evolutionem et progressum in ordine tum physico, tum morali, tum artium et scientiarum.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (repugnat tendentiae naturali).** Existit in genere humano tendentia naturalis, universalis, invincibilis : 1) ad perfectiorem jugiter evolutionem virium naturalium in hominibus procurandam, — 2) ad possessionem exclusivam i. e. ad proprietatem bonorum materialium, — 3) ad personalem dignitatem et independentiam ac libertatem ab aliorum superioritate; — *a.* triplici huic tendentiae repugnat communio bonorum positiva, supposita natura humana qualis nunc est; *e.*

*Ad maj.* Teste experientia, est tendentia : naturalis, i. e. duce natura; universalis, moraliter; invincibilis, non quidem singulis, sed generi humano collective sumpto : 1) ad acquirendas cognitiones rerum tum materialium, tum suprasensibilium, ad perficiendas scientias et artes, et ad evolvendas vires quibus excolantur res materiales, usui et utilitati hominum accommodandae; — 2) ad stabilitatem aliquam possessionis, omni conatu justo sibi comparandam; — 3) ad propriam utilitatem et excellentiam ex propria activitate prosequendam, a qua non nisi violentia cohiberi potest.

*Ad min. 1 part. (tendentiae evolutionis).* Ut huic tendentiae satisfiat, requiritur a) ut non omnes omnia aequae curare teneantur, sed ut partem quisque suam laboris curandam et evolvendam ac promovendam suscipiat; — b) ac proinde satis quisque liber sit ab incommodis et periculis circa reliquas necessitates suas; — *a.* his repugnat communio illa positiva bonorum et laborum; *e.*

*prob. min.* Libertas haec ab incommodis et periculis implicat securitatem circa necessaria ad vitam materiale commodam, tum quoad praesens, tum quoad futurum; *a.* haec securitas, spectata natura humana prout nunc est prava et egoistica, sine stabilitate proprietatis obtineri nequit; *e.*

*Ad min. 2 part. (tendentiae ad proprietatem).* Patet.

*Ad 3 part. (tendentiae ad dignitatem et independentiam).* Ubi singuli totum suum laborem pro utilitate aliorum omnium impendere debent, et ad id etiam vi adigi possunt, ibi non dignitati et independentiae omnium, sed servituti omnium uniformi provisum est.



**Prob. 3<sup>a</sup> pars (nulla compensatio).** Compensatio haec admitti forsitan posset si omnes, tum auctoritatem exercentes, tum subditi in communi laborantes, aequo et justo animo procederent semper; *a.* in genere humano quale nunc est, nihil tale sperare licet; *e.*

*Ad min.* 1) Rerum administratores, homines eadem naturae pravitate infecti, non semper sine egoismo agent; nec proinde securitati omnium sufficienter nec certo providebunt.

2) Subditi fructum proprii laboris non sperantes, laboris alieni fructum sperantes, desidia ac pigritiae se darent, suas partes negligenter; unde et langueret industria, perirent artes et commercia, rediret societas in barbariem.

3) Alii aliorum pigritiam conquererentur; unde rixae, vindictae, scelera omnimoda, rebelliones, morum corruptiones.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo communismus sicubi viguit, initiales illae et rudimentariae societates erant, *v. c.* tribus errantes et barbarae.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ergo quoties dicitur communismus rexisse civitates cultiores antiquas, id negandum est; nam revera regimen aristocraticum erat paucorum liberorum virorum, quibus proprietas omnium reservabatur, pro quibus multo plures servi ab omni proprietate exclusi, et tanquam pecus habiti laborabant.

**Objic. 1<sup>o</sup>** Ex proprietate multa oriuntur jurgia et injuriae; ac sine proprietate haec oriri non possent; *e.* — *R. d. 1 part.* oriuntur ex proprietate ipsa, *n*; ex hominum malitia, *c*; — *d. 2 part.* non haec possent oriri, sed pejora, *c*; secus, *n*.

**Objic. 2<sup>o</sup>** Socialis auctoritatis est jura et proprietates regere; *a.* ita in communismum devenitur; *e.* — *R. d. maj.* custodire et tueri, *c*; auferre jura, et per seipsam bona regere, *n*.

*Inst.* Saltem socialis auctoritatis est indigentes tueri, et vitae necessariis donare; *e.* — *R. d.* quantum indigent et ipsa potest, *c*; injuste alios spoliando, et communia omnia faciendo, *n*.

**Objic. 3<sup>o</sup>** Argumenta nituntur in vitiis quibus infecta est natura humana; *a.* vitia moralia nequeunt esse ratio juris collati subjecto vitioso; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* non possunt esse ratio ontologica seu fundamentum juris, *c*; esse ratio logica seu signum ex quo concludatur aliquod jus, *n*. (haec vitia ostendunt sine jure proprietatis non posse exerceri alia jura homini innata).

**Objic. 4<sup>o</sup>** Vi naturae omnes jus habent aequale ad omnia; *e.* nemo alium excludere potest. — *R. d. ant.* jus aequale, negative et in abstracto, ad omnia distributive, *c*; jus aequale, positive et in concreto, ad omnia collective *n*.

### Propositio 97.

In genere humano quale nunc est, absurdum est systema socialistarum.

**Stat. quaest. 1)** Ad eandem quaestionem de existentia juris proprietatis

respondent socialistae, juri naturae conformem esse legitimam proprietatem, eamque stabilem et individuaem, non solum bonorum mobilium sed etiam immobilium; ita tamen ut distributio bonorum nunquam ab aequalitate inter omnes homines multum differat; porro publicae auctoritatis esse ut ad eam aequalitatem omnes adducat in eaque retineat. — Hi vocantur *socialistae* quia socialem reformationem et renovationem inducere conantur.

2) Ad hoc autem alii, *socialistae anarchistae*, ut medium proponunt perturbationem status socialis qui nunc est, ut omnibus bonis denuo in commune dominium collectis, distributio nova fiat secundum leges aequalitatis.

3) Alii, *socialistae doctrinarij*, violentia uti nolunt, sed varia media proponunt, ut constituatur *v. c.*

a) *lex vectigalis progressivi*, qua scilicet vectigalia singulis pro quantitate possessionum imponantur, non proportionem arithmetica, ut nunc fit, sed geometrica, ita ut *v. c.*

qui capitale habet : a, 2 a, 3 a, 4 a, 5 a...  
 qui vectigal nunc dat : i, 2 i, 3 i, 4 i, 5 i... (prop. arithm.)  
 jam vectigal dare debeat : i, 2 i, 4 i, 8 i, 16 i... (prop. geom.)

b) *lex associationis* inter conferentes *operam* et conferentes *capitale* (materiam, fundum, pecuniam, instrumenta), qua operarii a patronis praeter mercedem praestiti laboris etiam partem certam ex lucro accipiant.

c) *lex venditionis per locationem*, qua solutio pretii locationis jus det ad proprietatem alicujus partis ipsius rei locatae.

d) *lex juris ad laborem*, qua teneatur auctoritas publica curare ut nulli desit copia locandae suae operae.

e) *lex commodationis pecuniae* sine ullo emolumento commodantis.

4) Distincta igitur doctrina socialismi est a communismo, at practice saepe socialistae etiam in communismum labuntur, ejusque principiis utuntur.

**Prob.** In genere humano quale nunc est, socialismus : 1) naturali universali invincibili generis humani tendentiae repugnat, — 2) omnem profectum artium, scientiarum, etc. impediret, — 3) omnem concordiam et pacem hominum destrueret, — 4) perpetuas mutationes et turbationes reip. induceret; *e.*

*Prob. ant. 1 part. (tendentiae naturali repugnat).* Existit in genere humano, generatim sumpto, tendentia universalis, naturalis, non solum ad proprietatem aliquam acquirendam, sed ad suam cujusque amplificandam et stabilendam, tanquam laboris atque industriae propriae fructum; *a.* huic tendentiae repugnat socialismus; *e.*

*Prob. 2 part. (profectum impediret).* Ad hunc profectum requiritur varia possessionum amplitudo, et cujusque securitas circa vitam materialem, sed et circa stabilitatem suorum operum et industriae fructuum; *a.* hanc varietatem possessionum tolleret, hanc securitatem destrueret socialismus vi suorum principiorum; *e.*

*Prob. 3 part. (concordiam destrueret).* Securitas hominum circa restaurandam



aequalitatem possessionum, eos in pigritiam, desidiam, languorem adigeret; *a.* ita perirent omnis industria, artes et commercia; mox omnes conquerebantur alii de aliis, et in odia, rixas, caedes et barbariem abirent; *e.*

*Prob. 4 part. (turbationes reip. induceret).* Quoties aliqui strenuo labore vel majore ingenio bona sua auxissent, vel alii majore desidia et imprudentia bona sua amisissent, toties nova distributione (sive lenta, sive subita, sed semper violenta) restauranda esset aequalitas omnium; *a.* ita perpetuae mutationes et violentae turbationes inducerentur in remp., et horrenda tyrannis; *e.*

### Propositio 98.

**Jus proprietatis non oritur ex conventionem vel pacto inter homines.**

**Stat. quaest.** 1) Ex praecedentibus probatum manet, existere verum jus proprietatis, non solum societatis integrae, sed etiam singulorum hominum. — Jam quaeritur de origine hujus juris, seu fundamento.

2) Respondent Grotius, Puffendorff, Heineck, illud oriri ex universali pacto inter homines; scilicet:

a) Naturaliter omnia bona materialia sunt omnibus hominibus positive communia: estque haec lex naturalis positiva.

b) Sed omnis lex positiva pati potest exemptionem propter necessitatem. Quando ergo genus humanum propagatum fuit, ac in familias divisum, necesse fuit etiam bona inter eas dividi; atque inde homines a primitiva illa communione recedere, et bonorum proprietates invehere coeperunt, vi cujusdam generalis et mutuae conventionis et pacti.

**Prob.** Talis conventio primitiva inter homines, 1) gratis affirmatur, 2) repugnat naturali tendentiae generis humani, 3) duceret ad communismum; *e.*

*Ad ant. 1 part. (gratis affirmatur).* Hujus conventionis a) nullum vestigium historicum apud ullam gentem invenitur; quin imo contrarium ubique reperitur; *e.* non probatur a posteriori; — b) falsum est principium in quo nititur: bona omnia omnibus positive communia naturaliter esse; *e.* non probatur a priori.

*Ad ant. 2 part. (repugnat tendentiae).* Genus humanum, generatim inspectum, naturaliter et invincibiliter tendit ad vitam socialem, in qua meliores conditiones vitae, majorem evolutionem suarum virium, sed simul systema proprietatum, inveniant; *a.* huic tendentiae repugnat conventio illa primitiva; *e.*

*prob. min.* Illa conventio erat exemptio a lege naturali propter necessitatem; *a.* exemptio talis, contra legem naturalem seu tendentiam naturalem, propter necessitatem non propter inclinationem naturalem, repugnat propensione et tendentiae naturali; *e.*

*Ad ant. 3 part. (duceret ad communismum).* Quod ex lege naturae praescribitur, melius est quam quod contra eam propter necessitatem inductum et

toleratum fuit; atque ad illud redire melius erit quam primum erit possibile; possibilitatem autem procurare omni conatu, imo etiam aliqua vi pro lege naturae certare, laudabile et justum erit; praesertim apud novas generationes quae primitivo pacto non interfuerunt illudque reprobant; — *a.* ille reditus ad legem naturalem esset positiva communio bonorum omnium omnibus; *e.*

### Propositio 99.

**Jus proprietatis non oritur ex lege civili.**

**Stat. quaest.** Ad eandem quaestionem de origine juris proprietatis respondent Hobbes, Bentham, Montesquieu, naturalem esse communionem omnium bonorum; sed huic homines nuntium dedisse, ut propter majora bona societatis sub legibus civilibus viverent, atque harum vi jus proprietatis acquirerent.

**Prob.** Adversariorum sententia 1) falso fundamento nititur, 2) impossibile enuntiat, 3) sibi ipsi contradicit, 4) ad absurdum ducit, 5) communismo et socialismo viam aperit; *e.*

*Ad ant. 1 part. (falso fundamento).* Supponit naturalem esse humano generi statum solivagum, segregem, sylvestrem; *a.* hoc est falsum (cfr. infr.); *e.*

*Ad ant. 2 part. (impossibile).* Omnium gentium, etiam maxime dissitarum et quoad omnia maxime differentium, leges eodem modo proprietatis jus, et juris acquirendi vel amittendi conditiones et causas introduxissent (praeter minutas aliquas formalitates); *a.* tanta concordia in talibus ex solis legibus esset impossibilis; *e.*

*Ad ant. 3 part. (sibi contradicit).* Nemo dat quod non habet; *a.* in sententia adversariorum, ante leges nulla erat proprietas, nec singulorum, nec ipsarum societatum variarum; et tamen per leges suas societates dederunt proprietatem, et quidem legitime; *e.*

*Ad ant. 4 part. (ad absurdum).* Si sola lex civilis jus proprietatis creat, quidquid et quocumque modo illa statuerit, bonum et justum erit; *a.* ita perit omne intrinsecum et essentielle discrimen inter bonum, justum, et malum, injustum; quod est absurdum (cfr. supra); *e.*

*Ad ant. 5 part. (communismo et socialismo).* Idem fere argumentum valet ac in propositione praecedente (in fine).

**Objic. 1°** Extra societatem civilem proprietas sanctione nulla fulcitur (quam homines privati vi coactiva destituuntur); *a.* sine sanctione jus concipi nequit; *e.* — *R. tr. maj.* — *n. min.* (differt potestas moralis inviolabilis a potestate physica coactiva).

**Objic. 2°** Extra societatem civilem non inveniretur sufficiens tutela jurium, eorumque laesio frequentissima esset; *a.* eatenus obligatur aliquis ad observanda jura aliorum, quatenus alii jura ipsius observant; *e.* impossibilis esset proprietas quae obligationem supponit observandi jura aliorum. — *R. tr. maj.* — *n. min.* (cfr. supra de officiis).